



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum materia continentiae sint concupiscentiae delectationum tactus? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

uerfiratem rationis, non est conueniens rationi. Vnde ille solus verè continens dicitur, qui tenet se in eo quod est secundum rationem rectam, non autem in eo quod est secundum rationem peruersam. Rationi autem rectæ opponuntur concupiscentiæ prauæ: sicut & rationi peruersæ opponuntur concupiscentiæ bonæ. Et idèd propriè & verè continens est, qui persistit in ratione recta, abstinens à concupiscentijs prauis: non autem qui persistit in ratione peruersa, abstinens à concupiscentijs bonis. Sed hic magis potest dici obstinatus in malo.

Ad tertium dicendum, quòd gloss. ibi loquitur de continentia secundum primum modum, secundum quem continentia nominat quamdam virtutem perfectam, quæ non solum abstinere ab illicitis bonis, sed etiam à quibusdam licitis minus bonis: vt totalitèr intendatur perfectioribus bonis.

ARTIC. II.

Utrum materia continentia sint concupiscentiæ delectationum tactus?

755

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd materia continentia non sint concupiscentiæ delectationum tactus. Dicit enim Ambros. in primo de Offic. * quòd generale decorum ita est ac si æquabilem formam atque vniuersitatè honestatis habeat in omni actu suo continentem. Sed non omnis actus humanus pertinet ad delectationes tactus. Ergo continentia non est solum circa concupiscentias delectationum tactus.

ART. PRÆC.

¶ 2 Præterea, Nomen continentia ex hoc sumitur, quòd aliquis tenet se in bono rationis rectæ, sicut dictum est *. Sed quædam aliæ passiones vehementius abducunt hominem à ratione recta, quam concupiscentiæ delectabilium tactus: sicut timor periculorum mortis, qui stupefacit hominem; & ira, quæ est insanix similis, vt Seneca dicit *. Ergo continentia non dicitur propriè circa concupiscentias delectationum tactus.

lib. 1. de ira, c. 1.

¶ 3 Præ-

¶ 3 Præterea, Tullius dicit in 2. Rhet. + quod continentia est, per quam cupiditas consilij gubernatione regitur. Cupiditas autem magis consuevit dici diuitiarum quam delectabilium tactus, secundum illud 1. ad Timoth. ult. Radix omnium malorum est cupiditas. Ergo continentia non est proprie circa concupiscentias delectationum tactus.

f. de inuen in f. 3. ante f. lib.

¶ 4 Præterea, Delectationes tactus non solum sunt in rebus venereis, sed etiam in vsu ciborum. Sed continentia solum circa vsu venereorum consuevit dici. Ergo nõ est propria materia eius concupiscentia delectationum tactus.

¶ 5 Præterea, Inter delectationes tactus quedam sunt non humanæ, sed bestiales, tam in cibis (vtpote si quis delectaretur in esu carniū humanarū) quam etiam in venereis: puta in abusu bestiarum, vel puerorum. Sed circa huiusmodi non est continentia, vt dicitur in 7. Ethic. *Non ergo propria materia continentie sunt concupiscentiæ delectationum tactus.

c. 5. 10. 5.

SED contra est, quod Philosophus dicit in * 7. Ethic. quod continentia & incontinentia sunt circa eadem, circa quæ temperantia & intemperantia. Sed temperantia & intemperantia sunt circa concupiscentias delectationum tactus, vt supra habitum est *. Ergo etiam continentia & incontinentia sunt circa eandem materiam.

c. 4. 10. 5.

q. 141. ar. 4.

RESPONDEO dicendum, quod nomen continentie refrenationem quamdam importat, in quantum scilicet tenet se aliquis ne passiones sequatur. Et ideo proprie cõtinentia dicitur circa illas passiones, quæ impellunt ad aliquid prosequendum: in quibus laudabile est, vt ratio retrahat hominem à prosequendo. Non autem proprie est circa illas passiones, quæ important retractionem quamdã, sicut timor & alia huiusmodi. In his enim laudabile est firmitatem seruare in prosequendo: quod ratio dicit, vt supra dictum est *. Est autem considerandum, quod naturales inclinationes principia sunt omnium superuenien-

q. 123. a.

3. 6. 4.

Vnde
e in eo
m in
Rationi
sicut
bona
sistit in
non
tens d
dici ob
uitur de
andum
em per
onis sed
totaliter
tia delect
quod ma
centia de
primo de
si equal
si habere
anis a us
Ergo con
s delecta
ho: sumi
recta, s
vtemen
tam con
pericu
as, qaz est
continentia
delecta
3 Præ-

*elicitur
ex q. 26.
art. 3. 7.
q. 8.*

nientium, vt supra dictum est †. Et ideò passiones tanto vehementius impellunt ad aliquid prosequendum, quanto magis sequuntur inclinationem naturæ: quæ præcipuè inclinatur ad ea quæ sunt sibi necessaria; vel ad conseruationem indiuidui, sicut sunt cibi; vel ad conseruationem speciei, sicut sunt actus venerei: quorum delectationes ad tactum pertinent. Et ideò continentia & incontinentia proprie dicuntur circa concupiscentias delectationum tactus.

*loco cita-
to in ar-
gum.*

Ad primum ego dicendum, quòd sicut nomen temperantiæ potest communiter accipi in quacumque materia, proprie tamen dicitur in illa materia, in qua est optimum hominem refranari: ita etiam continentia proprie dicitur in materia, in qua est optimum, & difficillimum contineri, scilicet in concupiscentijs delectationum tactus. Communiter autem & secundum quid potest dici in quacumque alia materia. Et hoc modo vtitur Ambr. * nomine continentia.

Ad secundum dicendum, quòd circa timorem non proprie laudatur continentia, sed magis firmitas animi, quam fortitudo importat. Ira autem impetum quidem facit ad aliquid prosequendum. Iste tamen impetus magis sequitur apprehensionem animalem, prout scilicet aliquis apprehendit se esse ab alio lesum: quam inclinationem naturalem. Et ideò dicitur quidem aliquis secundum quid continens iram, non tamen simpliciter.

c. 4. to. 5.

Ad tertium dicendum, quòd huiusmodi exteriora bona, sicut honores, diuitiæ, & huiusmodi, vt Philos. dicit * in 7. Ethic. videntur quidem secundum se esse eligibilia, non autem quasi necessaria ad conseruationem naturæ: & ideò circa ea non dicimus simpliciter aliquos continentes vel incontinentes, sed secundum quid: apponendo quòd sine continentibus, vel incontinentibus lucri, vel honoris, vel alius huiusmodi. Et ideò vel Tullius * communiter vsus est nomine continentia, prout comprehendit sub

*loco cita-
to in ar-
gum.*

sub se etiam continentiam secundum quid : vel accipit cupiditatem stricte pro concupiscentia delectabilium tactus .

Ad quartum dicendum , quòd delectationes venerorum sunt vehementiores , quàm delectationes ciborum . Et idè circa venerea magis consuevimus continentiam & incontinentiam dicere , quàm circa cibos : licet secundum Philosophum circa vtrumque possit dici .

Ad quintum dicendum , quòd continentia est boni rationis humanae : & idè attenditur circa passiones , quæ possunt esse homini connaturales . Vnde Philosophus dicit in 7. Ethic. * quòd si aliquis tenens puerum , concupiscat eum , vel comedere , vel ad venerorum inconuenientem delectationem , siue sequatur concupiscentiam , siue non , non dicetur simpliciter continens , sed secundum quid .

ARTIC. III.

Vtrum subiectum continentia sit vis concupiscibilis ?

Ad tertium sic proceditur . Videtur , quòd subiectum continentia sit vis concupiscibilis . Subiectum enim alicuius virtutis oportet esse proportionatum materiae . Sed materia continentia , sicut dictum est * , sunt concupiscentia delectabilium tactus , quæ pertinent ad vim concupiscibilem . Ergo continentia est in vi concupiscibili .

¶ 2 Præterea , Opposita sunt circa idem . Sed incontinentia est in concupiscibili , cuius passiones superant rationem . Dicit enim * Andron . quòd incontinentia est malitia concupiscibilis , secundum quam eligit prauas delectationes , prohibente rationali . Ergo & continentia pari ratione est in concupiscibili .

¶ 3 Præterea , Subiectum virtutis humanae , vel est ratio , vel vis appetitiua , quæ diuiditur in voluntatem concupiscibilem , & irascibilem . Sed continentia non est in ratione , quia sic esset virtus intellectualis : neque etiam in voluntate , quia continentia est circa passiones quæ non sunt in voluntate . nec etiam est

c. 5. non longe a fin. 10. 5. 756

sup 9. 57. a. 5. ad 3 Et 1. 2. 9. 58. ar. 3. ad 2. Et d. 3. q. 2. ar. 4. q. 2. Et 7. Eth. lect. 10.

co. 3.

* ar. 176.

ar. 176.